

Disputatio inauguralis medica de morbis ex atonia cerebri nervorumque nascentibus / ... Philippo Wilhelmo ... sub praesidio Friderici Hoffmanni ... : publico eruditorum judicio exponet, Johannes Gottlieb Blochmann.

Contributors

Blochmann, Johannes Gottlieb.
Hoffmann, Friedrich, 1660-1742.
Wilhelmo, Philippo.

Publication/Creation

Halae Magd : Litteris Johannis Gruneri, [1708]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fmtts869>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

MORBIS EX ATONIA CEREBRI NERVORUMQUE NASCENTIBUS.

QUAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,

PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGICO, CETERA.

CONSENSU GRATIOSAE FACULTATIS MEDICAE

SUB PRÆSIDIO

DN. FRIDERICI HOFFMANNI,

CONSILIARII & ARCHIATRI REGII, MEDIC.

ET PHIL. NATUR. PROF. PUBL. ORDINAR.

h.t. DECANI

Patroni & Promotoris sui æternum venerandi,

PRO GRADU DOCTORIS

Summisque in Arte Medica Honoribus & Privilegiis legitime consequendis,

Ad diem Octobris M DCC IIX.

IN AUDITORIO MAJORI,

horis consuetis

Publico eruditorum iudicio exponet,

JOHANNES GOTTLIEB BLOCHMANN.

Leoberg, Siles.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

MORRIS AX AT
ON CH NE I ER
ONCH I ER
ONCH I ER

ONCH I ER
ONCH I ER
ONCH I ER
ONCH I ER

ONCH I ER
ONCH I ER
ONCH I ER
ONCH I ER

ONCH I ER
ONCH I ER
ONCH I ER
ONCH I ER

ONCH I ER
ONCH I ER
ONCH I ER
ONCH I ER



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,

DE

MORBIS EX ATONIA CEREBRI NERVORUMQUE NASCENTIBUS.

PROOEMIUM.



VT solidæ corporis partes, quamdiu ipsis suum robur, quamdiu elastica illa vis, si-ve contrahendi atque relaxandi facultas constat, vitalem sanguinis in orbem motum unice custodiunt, fovent atque tuentur; ita eædem etiam, ubi noxam conceperunt, ubi nimis intenditur illa constrictio, vel relaxatio plus justo se remittit, salutarem hunc motum imminuunt ac labefactant, & amplam morbis morborumque causis præbent

occasionem. Quod si enim vehementiore spasmō tentantur interiora, minus æquali flumine sanguis per corporis partes diffunditur, sed violentia mali ex altera expressus parte, in eadem deficit, in altera abundat, eo declinatus. Qui quando propter molem, qua cum impetu eodem fertur, angustias venarum minus commode subire potest, easdem eluctari magna cum vi conatus, distendit, & largam morborum segetem excitat. Inde enim febres, inde inflammationes ac dolores, sanguinis ex naribus, pulmone ceterisque partibus profusiones, magnum denique malorum agmen ex iis concitatur, quæ acutorum nomine a medicis insigniuntur. Ubi contra detractō robore, immodica relaxatione partes torpent, iusta contrahendi facultate exutæ, sanguis ceterique humores, quibus expellendis debilitatæ parum sufficiunt, intra easdem detinentur. Eademque de causa sanguis & lymphæ paulatim extra alveum suum effusa graves & diuturnos maxime morbos excitat, longo tempore industriaque expugnandos. Quare magnopere interest, ut medicus, qui artis scientiam sibi vindicat, & ægris consulere cupit

pit, has partes earumque motum recte intueatur, & easdem diligenter scrutatus medendi inde trahat rationem. Nam si in omni fere passione vel moderari, vel excitare & augere motum convenit, illud vero STRICTURÆ, hoc RELAXATIONIS passiones exigant, plurimum omnino refert, medicum scire, ad utrum ex his morbus, quem curandum suscepit, referri debeat, ne fallente causa, ipsum fallat curatio. Debent hoc nomine collaudari methodicæ sectæ, nobilissimæ ex veteribus, æmuli, qui STRICTUM AC LAXUM professi, in eodem & morborum causas & eorum curam posuerunt. Quos quidem secuta nostra ætas, rudem illorum sententiam paulo subtilius excoluit, adserta ex tenebris in sereniorum lucem medicina. Tentavit idem hætenus, & tentabit porro, si vita ac valetudo suppetet, D. Præses, ex hac solidarum partiū conditione pleraq; mala deducere, diversis jam dissertationibus, morbos ex spasmus provenientes persecutus. Cujus quidem rei & ego experimentum dare constitui, atoniam cerebri & nervorum, & quæ inde fluunt mala, quantum ingenio adsequi licet, inaugurali hac dissertatione explicaturus. Quod opus priusquam adgredior,

Deum perennem illum fontem, ex quo vitam sanitatemque ceteraque bona haurimus, supplice voce precor, ut hunc laborem fortunet, eundemque mortalium usui ac commodo cedere jubeat.

CAPUT I.

DE APOPLEXIA.

OBSERVATIONES.

APoplexia, quam Latini medici resolutio-
nem nervorum in toto corpore, ceteri veteres sanguinis, vel humorum ictum appellarunt, ab effectu nomen sumpsit, siquidem celerrime hominem percellit opprimitque. Est vero hæc ejus conditio: Corpus repente omni sensu motuque destitutum cadit, rationisque & omnium sensuum usus velut extinguitur, salvo tamen manente pulsu atque respiratione.

2. Causam tam vehementis mali incisa corpora demonstrant, quippe magna vel feri vel sanguinis copia intra ventriculos cerebri sese repræsentat, à venis plexus cho-
roidei disruptis eo exoneratus. Sæpe etiam polypus in arteria pulmonali vel carotidibus invenitur.

3. Patent huic adfectui imprimis, quibus copiosus intra venas sanguis fertur, item qui proveciore sunt ætate & senectuti propiores. Idemque periculum propositum est iis, qui cervicem brevem tenuemq; atque coloratam faciem habent, obesi sunt, & quibus critica per nares profusione alioquin sanguis fluxit. His enim, ubi ad 55.

an-

annum pervenerunt, hujus funesti mali periculum in-
stat.

4. Ex tempestatibus inæquales & frigida maxime
hoc adfectu funestæ sunt, quo fit, ut hyems & aquilona-
ris tempestas & sævientis repente boreæ flatus plurimos
opprimat, præsertim si largi imbres pluviaeque præcesse-
runt.

5. Constat etiam experientia, apoplexiam certis tem-
poribus grassari, & ingentem quandoque stragem inferre,
quod identidem tempestatum moribus tribuendum exi-
stimamus. Eadem de causa certa loca magnum hujus
mali proventum ferunt, quale est Romanum solum, quod
propter aliginosum cælum ejusmodi funeribus fædum est.

6. Oritur frequentissime hæc passio ab abundantia sangui-
nis intra venas adcumulati, unde qui sanguinis missionem,
quam alioquin salubriter adhibuerunt, temere negligunt,
facile eadem corripuntur. Id quod & iis evenit, quibus
sanguinis per nares vel ani venas profluvium vel inconfi-
derate suppressum fuit, vel sponte constitit, unde etiam
mulieres, quibus post partum minus recte lochia expurga-
ta fuerunt, cum summo periculo hoc malo adfectas no-
vimus.

7. Caput debilitant, & ad apoplexiam disponunt
crebra crapula, venus immodica, intempestivus balneo-
rum atq; sternutamentorum usus, item carbonum malignus
fumus. Neque minor noxa contrahitur, si caput nu-
dum ferventibus solis radiis diu exponitur, idemque pro-
num obversumque ad calentem focum nimio æstu debilita-
tur. Nihil æque porro celeriusque hunc adfectum provocat,
quam terror subitus, acre frigus, effrænis ira & diuturnus
mœror atque sollicitudo.

8. Curiose providendum est, ne spuriam apoplexiam cum vera confundamus. Illa enim ex utero suborta hysterici feminis infesta est, & non alia de causa provenit, quam quod a spasmis abdomen constringentibus, sanguis ex mensibus relictus, & ad cerebrum delatus, sensum ac motum aliquamdiu intercipiat, salvo tamen pulsu & spiritu. Ipsa raro feralis est, sed ubi se remisit spasmus, vel sanguinis detractio aliisve remediis discussus fuit, facile solvitur. At magis terrere debet apoplexia vera, quæ ob sanguinem vel serum extra vasa delapsum, vel subito jugulat, vel certe diutius jacentem trahit.

9. Distinguenda porro est apoplexia fortis a debiliore. Illa ex vasorum cerebri ruptione, hæc ex distentione tantum eorum nimia & stagnatione humorum suboritur. Prior lethalis, posterior curantis manum admittit, si maturius remedia admoveantur.

10. Differt à syncope hisce notis: In illa omnia frigent, facies pallet, pulsus & respiratio intercipitur, in hac vero præter durantem adhuc spiritum, florida & rubra sæpe facies & pulsus quamvis languens observatur.

11. Probe etiam nosse oportet, utrum a causa interna vel externa nostra passio proveniat. Inter externas numeramus gravem capitis contusionem & percussionem, item si quis ex alto delapsus est.

12. Adpropinquantis mali hæc fere sunt signa: Gravans dolor capitis vertigo, & caligo oculorum, diuturnus sopor, digitorum vel pedum stupor aurium tinnitus, incubus, memoriæ infirmitas & vigor membrorum imminutus.

13. Quo expeditior est respiratio, eo amplior curationis spes,

spes, quo gravior illa, eo plus periculi ostenditur, quando qui hoc morbo pereunt, semper deficiunt strangulati.

14. Est hæc passio ex iis, quæ per certos circuitus adoriri solent, itaque per tres subinde annos sæpe recurrit, donec diu lacescitum hominem tandem conficiat.

15. Omni apoplexiæ validiori spasmodici vel convulsivi aliquid subesse videtur. Inde enim est, quod cum vomitu plerumque invadat, vel ille sequatur, inde etiam, quod artus unius lateris sub ipso impetu mali convulsione sæpe torqueantur. Eadem sæpissime post se relinquere consuevit linguæ resolutionem, quamvis hæc illam nonnunquam antecedit.

16. Frequentius accidit, ut ex ore & naribus oppressorum sub ipsa accessione mali, sæpe etiam post mortem sanguis destillet. Ad ultima vero jam ventum esse, testatur spiritus auctus ac concitatus cum sibilo emissus, stertor & sudor faciei frigidus, item si pectus subinde attollitur, convulsionum violentia concussum. Est & futuræ mortis index, si sphinctere resoluta alvus sponte delabatur,

CURATIO.

Truculenti hujus adfectus cura duplex est, altera, quæ præsens manifestumq; periculum depellit, altera quæ futurum avertit, & ab ejusdem impetu corpus defendit.

In ipso impetu mali nihil prius habendum est, quam ut sanguis & humores à capite avertantur, deinde ut collapsum capitis nervorumque robur restituatur. Id quod sequentibus medicamentis, si remediis adhuc vis mali cedit, consequi possumus.

I. Mittere oportet sanguinem in vera apoplexia, in
quo

quo auxilio unica certe spes ægrotis superest, modo illa mature celeriterque adhibeatur. Si enim alibi certe hic obstandum est maxime principiis, & temporis momenta observanda, ideoque ubi primum quis concidit hoc malo oppressus, statim è brachio sanguinem detrahare convenit, mox sudoriferum v. gr. spiritum C. C. spiritum tartari cum aceto vini offerre, ut sanguinis motus in capite clementer restituatur. Æque necessaria est sanguinis missio iis, qui ab externa causa à casu vel vulnere hoc mali sibi contraxerunt. Sunt, qui jugulares venas incidi jubeant, veterum innixi experimentis.

2. Alii sub Autore Cl. Medico Fracastorio à ferro candenti præsidium petunt, vertici adplicando.

3. Interne aquam liliorum convallium non admodum spirituosam, & sæpius à floribus rursus destillatam commendamus, quippe quæ mirifica virtute pollet spasmos sopiendi & resolvendi. Commodissimumque est, ex ea cetera remedia, quæ cura exigit, adsumere. Inter hæc non mediocris laus est essentia castorei cum liquore C. C. mixtæ, adjecto spiritu minerali anodyno D. Præsidis,

4. Excitat egregie spiritus acris narium interioribus per pennam inditus. Ejusmodi est spiritus salis ammoniaci cum calce viva paratus, admixto oleo rutæ caryophyllorum & essentia castorei.

5. Caput diligenter rasum fovere præstat calido cataplasmate composito ex discutientibus, & quæ sanguinem, qui coit in capite, resolvant. In hoc numero sunt ruta salvia thymus origanum serpillum, rad. Sigill. Salomon. irid. Florentinæ, baccæ lauri juniperi flores sambuci

ci quæ ex aceto acriori cocta, adjecto sale ammoniaco & spiritu vini camphorato non mediocrem opem pollicentur.

5. Clystere acri eluenda alvus, cujus hæc formula fuerit: Recipe herb. rutæ majoranæ serpilli origani thymi singulorum m. i. seminum quatuor carminativorum baccarum lauri ana drachmam unam, flor. chamomill. Romanæ item vulgaris ana p. iij. coque in s. q. aquæ commun. Colaturæ recipe uncias iix. adde salis ammoniaci, nitri ana drachmas iij. sacchari Tomæi unciam unam, spiritus vini camphorati drachm. ij. ol. rutæ anethi cocti singulorum uncias ij.

PRÆSERVATIO.

1. In præservatione, ut in ipsa cura Venæsectio impede plurimum quoque sibi vindicat, quæ ubicirca æquinoctia adhibetur, tutam securamque sæpe valetudinem præstat.

2. Ubi timetur recursus mali, adurendum pest occiput ferramento candenti, vel cucurbitula imponenda, ut cursu materiæ eo averso, futuro alioquin discrimini corpus eripiatur.

3. Saluti etiam sunt in hoc adfectu hæmorrhoides, ideoque in iis præsertim, quibus alioquin feruntur, omni modo eas provocare convenit, partim interno aloes usu, partim hirudinibus extrinsecus admotis.

4. Balsamum vitæ Dn. Præsidis ex præstantissimis oleis compositum vel solum vel cum spiritu salis ammoniaci mixtum ex vino sumtum, si adjecto etiam infuso veronica vel melissæ, præsertim sub humidiorre celo egregiam opem præstat, nervos & caput

roborando. Juvat idem etiam extrinsecus, vertici temporibusque & nuchæ inunctus.

5. Non minus præsidii est in alvi ductione, quæ tamen non drasticis nervisque inimicis movenda est, sed lenioribus pillulis cephalicis balsamicis & polychrestis. At ubi moles humorum in primis viis coit, tunc necessarius est vomitus, singulis mensibus semel admissus. Profunt porro cucuphæ ex floribus anthos lavendulæ majoranæ ceterisque compositæ, adhibendæ etiam frictiones, demittendi pedes subinde in calidam aquam, ut sanguis ad caput ruens ad exteriora revocetur.

MONITA ET CAUTELÆ.

1. **A**bstinere oportet diligenter à vehementioribus stimulantibus in principio maxime impetus mali, quæ tantum abest, ut conferant, ut potius augeant morbum eumque reddant deteriorem. Concussione enim vehementi, qua vim suam exerunt, humores ad caput magis adliciunt, quos quantum fieri potest, remove conveniebat.

2. Eadem cura opus est circa calidorum usum, quæ caput nimis calefaciunt, replent & sanguinem in motum vehementem concitant. Vitari proinde debent aquæ apoplecticæ spirituosæ, olea cephalica, balsami apoplectici largius sumpti, quæ omnia, sive interne sive externe utaris, vires malo adjiciunt.

3. Vomitoriorum usum in impetu mali dissuademus, unde & sal vitrioli, tantopere à multis commentatum, merito rejicitur. At ubi ex crebris commotionibus colluvies humorum in ventriculo concurrit, optime

ptime eiusmodi remedio exhauritur. Quod quidem Commodius adhuc sustinent, qui præservationi student, modo illud considerate prudenterque offeratur.

4. Purgantia acriora, quæ sale caustico intestinorum tunicas lædunt, facileque inflammationes in iisdem excitant, summo studio devitare oportet, quod experimentis constat, malum inde sæpius recurrere.

5. Fugienda idemtidem sunt omnia vaporosa, quæ inimica imprimis sunt capiti, uti anodyna & opiata. Quare & vini generosi, ambrae moschique usus, in præservatione cautus ac circumspectus esse debet. Minus etiam amara & ex absynthio remedia iis conveniunt, qui ad apoplexiam proclives sunt.

6. Inimica huic adfectui sunt frigus, tempestas varians, & ventus borealis, inimica etiam ebrietas & intemperantia. Cibus sit ex media materia, remoto victu pleniori, vini tenuis usum parca manu concedimus.

7. Sublime caput in lecto habendum est, cum declivior capitis positus noceat, unde, qui de nocte apoplexia infestantur, mortui plerumque mane reperiuntur. Neque deest ratio, quippe majori in copia sanguis ad caput congeritur, ibidemque copiose extra vasa digressus repente mortem concitat.

8. Si venas jugulares incidere placet, hæc observatio necessaria est: Collum leviter constringatur linteo, mox incisa vena, statim detrahatur. Sic sponte fluit sanguis sine ligatura, postea conglutinandum vulnus emplastro, quod constat ex thure mastiche albumine ovi & pilis leporinis.

9. Postremo ira terror ceterique adfectus exulare debent,

bent, revocato animo ad tranquillitatem, quæ uti ceteris malis, ita & huic insigne adfert adlevamentum.

CAP. II.
DE
PARALYSI.

Paralyfin vocamus, quando non totum corpus, sed aliqua tantum pars resolvitur, quo quidem malo plerumque dextrum vel sinistrum latus occupatur. Solent autem resolutos motus sensusque deferere, mentis quoque ac sensuum vis perit, & in adfecto latere languidus arteriarum pulsus deprehenditur.

1. Sequitur ægrostorpor & gelidus stupor partuem, facies pallet, lingua minus intelligenter loquelam explicat, interdum etiam tumor & atrophia adfectam partim exercet.

2. Causa mali nostri non ad sanguinem, sed ad serum extra vasa in capite delapsum referendum est. Idem enim, ut ex incisione corporum discimus, dum a sanguine in venis subsistente secedit, ad ima cranii & principium spinalis medullæ delapsum, dextram vel sinistram ejus partem occupat, unde mole pressi vel obstructi nervi iter claudunt spiritibus. Si vertebræ colli vel dorsi læduntur, illa plerumque pars resolvitur, ad quam nervi ex offensis vertebris feruntur.

3. Ex apoplexia in paralyfin prolapsi, perpetuo stupore marcent, omni memoria ac mente destituti. Pejor autem agitur cum iis, qui ex paralyfi in apoplexiam incidunt,

dunt, qua vita & morbus plerumque iis terminatur.

4. Paralyfi debilitati diu sæpe vivunt, sed raro sanitatem pristinam recipiunt, miserum plerumque spiritum trahentes,perpetuoque stupori, perdita memoria, devoti.

5. Illud de experientia confirmatum est, periculosiorem esse sinistri quam dextri lateris resolutionem. Cujus rei ratio hæc dari poterit, quod arteriarum situs ad sinistrum magis, quam ad dextrum latus pertingat, jam vero satis notum, nervos, qui ad tunicas arteriarum abeunt, mirifice illarum cursum moderari.

6. Causæ quæ malum hoc excitant, eadem fere sunt, quas supra de apoplexia posuimus. Præter externas enim, vulnera ac percussione, frigus ebrietas luxuria cruditas & veneris frequentia nutriculae hujus adfectus sunt, quibus unice fovetur aliturque. Fit etiam sæpissime à spasmò intestinorum, à colica, à valida purgatione ab arthritide imprudenter intra corpus repulsa, item a scorbutò, quæ passio iisdem, quibus scorbutus notis deprehenditur.

7. Ex medicamentis præter purgantia acria, mercurialium inconsideratus usus hoc malum sæpe commovet. Scilicet ut omnia metalla inimica nervis sunt, ita maxime mercurius, qui inter reliqua facile eminet, iisdem est infestus. Unde non temere observamus, ex usu mercurialium & salivantium nasci tremores motuumque imbecillitatem. Ligamenta enim, quibus ossa vinciuntur, plus justo solvit ac relaxat, teste dentium vacillatione.

8. Distinguitur paralyfis in veram & spuriam, illa in cerebro vel spinalis medullæ principio defixa, sensum ac

motum fere omnem amolitur. Hæc clementior est, quæ non tam altis radicibus hæret, & in nervis vel membranis ad certam saltem partem pertinentibus confidet, cum minore motus ac sensus læsione.

9. Excipit sæpe atrocem coli dolorem, fortiolemque medicamento dejectionem. Frequenter etiam accidit ex podagra, interiora vel fortuito vel externis remediis repetente.

10. Hæc spuria paralytis misere torquet Hercyniæ sylvæ accolæ, qui metalla & maxime plumbi venas scrutantur. Cujus fumum & vapores ubi imprudenter ore exceperunt, plerumque hoc malo periclitantur.

11. Solvitur sæpe paralytis febre, quæ suis notis i. e. pulsus frequentia celeritate atque magnitudine sese manifestat. Salutem etiam ostendit tremor & dolor in membro paralyti debilitato, & si post inunctionem calidam pustulæ suboriuntur.

12. Difficilior cura in senibus & tempore hyberno, expeditior illa & æstate, & in viridi florentique ætate.

13. Particularis paralytis est, quæ certam corporis partem & nervos, qui ad eandem tendunt, adfligit. Verique simile est, interiorum singula hujus mali periculo exposita esse. In quamproinde partem hoc vitium incidit, ab eo adpellationem trahit. Ita palpebrarum habemus paralytin, in qua laxiores propendent palpebræ, & adlevari nequeunt, oculi etiam sine voluntate ægri illacrymant.

14. Lingua paralyti vitiata, vocem non extricat, sed oppressis conatibus conticescit.

15. Fauces resolutæ non transmittunt cibum, vi impel-

pellendi denudatæ. At guttur ægrum eo malo, vitæ discrimen sæpe prænunciat, siquidem rhonchos & spirandi angustia jamjam spiritum elidere videntur.

16. Est & ventriculo frequens hoc vitium, quo si male habet, adsumpta non secedunt, sed instar ponderis ventriculum premunt, & cibus nulla digestionē immutatur.

17. In morbis intestina hoc malum facile corripit, unde videmus adsumptum humorem velut per syphonem vel fistulam, cum murmure in moribundis descendere.

18. Si crassior intestinum paralyti languet, alvus sponte & sine dolore fertur, at ubi sphincter podicis relaxatur, anus foras prodit, quod procidentiam ani adpellamus.

19. Vesica hoc malo perculsa sine voluntate jacentis urinam dimittit. Seminales vero viæ ubi hac passione turbatæ sunt, sine tentigine semen fundunt, quod malum gonorrhœa nominatur. Adpetit etiam hoc malum pudenda, quod hac nota patet, si in aquam frigidam immissa non contrahuntur.

20. Si crus hoc vitium patitur, extensum longius fit, ut sub articulorum delocatione sæpius decipiat.

CURATIO.

In curâ hujus mali primum est, ut partes & nervi confirmentur, sanguinis & spirituum ad partem adfectam adfluxus concitetur, & serum viscidum excutiat. Utrique scopo satisfaciunt, tam externa quam interna auxilia, quæ mox subjiciemus.

Ex

Ex internis primo in loco ponenda sunt salia volatilia oleosa, spiritus C C. cum spiritu salis ammoniaci mixtus, adjecto oleo caryophyllorum cinnamomi essentiaque castorei.

2. Par virtus est spiritui salis ammoniaci, cum aqua liliorum convallium, quam supra in apoplexia etiam commendavimus, mixto, ita, ut mixtura unam quidem partem spiritus, tres aquæ recipiat. Eaque quotidie cum potu dari potest, ipsa vero medicamenta optime ex vino Hispanico vel Hungarico assumuntur.

3. Externe probandæ sunt fortiores frictiones, maxime cum pannis asperis, ut languens sanguinis motus ad afflictam partem excitetur. Eadem de causa maxime conducit, torpentis membri summam cutem, vel urticis cæsam, vel imposito sinapi, exasperare. Prodest etiam ad augendum motum in hoc malo balneum frigidum, quod Græci psychrolusiam adpellant, modo & vires sanguisque & viscerum integritas ægro adhuc suppetant.

4. Ad confirmandos nervos nihil æque juvat, quam spinalem medullam fovere ex linamento, quod constat ex axungiis animantium, admixto oleo lavendulæ majoran. rutæ roris marini caryophyllorum balsamo Peruviano aliisque, quæ roborandi pollent facultate. Parum enim utile est, meris oleis vel spiritibus id facere.

5. Eximiæ virtutis est balneum ex formicis adparatum, injecto simul serpillio thymo syderitide aliisque.

6. Commodum porro est, alvum clementioribus subinde medicamentis, & quæ balsamicam simul virtutem præstent, deducere. Hac laude pollent sequentes pillulæ.

Recipe extracti colocynthidis aloes hellebori nigri
resi-

resinæ guajac. lign. aloes fl. benzoës succini myrrhæ bals.
Peruvian. ana scrupulum unum ol. succin. lavend. singu-
lorum guttas. vj. camphoræ salis volatilis c.c. ana gr. 4.
m. f. l. a. pill. ex scrupulo uno no. 24. dosis 14.

MONITA ET CAUTELÆ.

Si sanguinē in hoc adfectu detrahēre convenit, quod
plerumque necessarium est, commodius est, id in contra-
rio vel opposito parti adfectæ membro facere.

2. In linguæ resolutione optimum est, sanguinem,
incisis venis sub lingua, emittere, quod valens adversus
hoc malum auxilium est. Conducit etiam, balsamum
vitæ Dn. Præsidis, saccharo infusum sub lingua continere,
si id non est, oleum caryophyllorum vel cinnamomi cum
saccharo linguæ subjiendum est, ut imminutus motus
restituatur.

3. In paralyfi vini usus circumcidendus est, potuū
aptissimum decoctum lignorum. Quidam commendant
decoctum ex rad. symphyti majoris, accedente dolore,
resolutum partium tonum inde roborari existimantes.

4. Remedium etiam præstans est, ut in plerisque
morbis, motus, unde paulatim ad exercitationem reverti
debet æger, & tentare, ut ingrediatur. Postea acrior pau-
lo exercitatio, si adfectus sustinet, admovenda, eidem-
que equo vel curru corpus concutiendum.

5. Linamenta spirituosā vel ex axungiis animantium
composita convenientius est, spinali medullæ, quam ad-
fecto membro imponere.

6. Ad reliquias mali delendas nihil præstantius est

thermis Carolinis, sique eas per imbecillitatē non adire potest æger, arte paratæ substituendæ sunt, quales quidem ex salibus varij generis conficiuntur. Cavendum tamen magna cura, ne in accessione mali vel ingravescente eodem, vel ubi caput imbecillum est, hæc cura ineatur. Quoniam enim hæ aquæ tardius per caput prodeunt, metus est, ne læsis nervis, in pejus eat adfectio.

7. Quo inimicius est frigus nervis, eo diligentius ab eo custodiendum corpus est. Pari studio fugere oportet intemperantiam, animi turbationes, purgantia & omnia, quæ in capite de apoplexia exposuimus.

CAP. III.
DE
AFFECTIBUS SOPOROSIS.
OBSERVATIONES.

EX soporosis adfectibus eminet lethargus, sub quo inexpugnabilis fere dormiendi est necessitas. Huic accedit plerumque febris, quamvis mitioris solito æstus, quam frequentia pulsus indicat. jungitur tanta oblivio, ut si quando oscitant, quod sæpe ipsis evenit, os claudere obliviscantur, vel ubi matulam poposcerunt, mingendi memoriam dimittant. Quod quidem symptoma cum languentes maxime urgeat, toti passioni nomen dedit, siquidem ἀπὸ τῆς λήθης i. e. oblivione appellatur.

2. Carent, qui ita adfecti sunt, omni dolore, adeo ut & acu compuncti & evulsis capillis nihil moveantur. Præter hæc corpus grave, respiratio rara & urina sæpius similis illi, quæ in jumentis effunditur.

3. Causa mali idemtidem feri copia in cortice cerebri vel intra ejus membranas exundans, quæ extra vasa effusa in defunctorum corporibus sese ostendit, quod stagnans membranarum nervorumque robur solvit, unde stupor soporque & memoriæ imminutio.

4. Est hic adfectus ex acutorum familia, idemque acutis morbis febribus malignis, pestique & erysipelati adsociatur. Eodem maxime infestantur corpora senilia cacochymica, & quæ desidiosa ac luxu enervavit.

5. Non semel Dn. Præses animadvertit, id mali ab erysipelate natum fuisse, ubi nempe illa maxime in senili ætate certo tempore alioquin reverti solita, per virium languorem non ad circuitum corporis expulsa fuit, materia acris ad caput cerebrumque transeunte. In metu etiam esse debent ii, qui sanguinis missionem qua usi alias fuerunt, male omiserunt, vel quibus sanguis ex certa parte alioquin fundi solitus, fluere desiit. Sæpe etiam solet hæc passio corripere, si quando humida tempestas diu continuarit, & ventri ex austro & occidente spiraverint, ita, tempus vernum, quo aer tepidior fragrantiumque florum vaporibus plenus est facile hoc malum excitat.

6. Animadvertere oportet, ne lethargus cum caro & comate misceatur, quorum utraque species ab illo suis notis distinguitur. Est enim carus mitius vitium; in quo febris abest, idem tamen stupor & somnolentia laborantem comprehendit. Sique arctior somnus comple-

etitur, nihiloque secius vigilantis formam æger retinet, coma vigil nominatur.

7. Discernendus quoque est sopor ejusmodi præternaturalis ab impotentia vigilandi, quando quis improbo labore defatigatus, obdormiscit. Tum enim, qui ita languent viribus plane exhausti, propter imbecillitatem neque apertos tenere oculos, neque membra movere valent, quamvis revera vigilant, nec tam alto uti videtur, somno adquiescant. Quod vel exinde adparet, quod accedente ignoto homine vel ad ejusdem sermonem oculos adlevent, eosdem tamen mox dimittant, & quod interrogati propter debilitatem responsioni non sufficiant.

8. Distinguere etiam convenit lethargum ab sopore, qui per res externas & medicamenta, qualia sunt omnium papaverum species opium datura, mandragora ceteraque arcescitur. Sub quo quamvis altissimo identidem somno soluti jaceant ægri, iidem tamen, ubi commoda medicina admovetur, facilius ad se redeunt.

9. Periculum in lethargo denunciant tremor & sudor faciei frigidus, at coma vigil malignis febribus accedens pestiferum signum, siquidem ille somnus in ultimam plerumque mortem continuatur. Caro qui frequentius opprimuntur, hisce apoplexiæ metus est.

CURATIO.

Vt jacentis imbecillitati recte succurratur, hæc duo maxime contemplanda sit, primum ut sopitus excitetur, deinde ut fatiscens membranarum nervorumque tonus ad priorem firmitatem revocetur.

1. Expergiscitur æger, admotis his- quæ sternutamen-
ta evocant, & quæ odore foedo vel acri movent. Inter
hæc primum sibi locum merito suo vendicat spiritus cry-
stallorum veneris cum castoreo mixtus, qui si ullus alius,
penetrantissimi odoris est. Idem fieri potest cum spiritu
salis ammoniaci vertici naribusque admoto. Juvat etiam,
quod vulgo fieri solet, galbanum vel cornu cervinum,
pennas perdicum & alia, quæ gravis odoris sunt, juxta ac-
cendere. Excitat porro validissime aqua frigida repente
capiti infusa, quæ roborando simul membranas cerebri
promte somnum excutit.

2. Caput radendum, deinde fovendum est cataplas-
mate, quod habet rutam laurum thymum satirejam sina-
pi castoreum decocta ex aceto rosaceo, adjecto oleo ligni
rhodii camphora & nitro.

3. Vt dematur materia malo, alvus leniter solvenda
est, infuso ventri ejusmodi clystere, quem supra in apople-
xia comprehendimus, adjecta colocynthide. Quum vero
quoties causa mali in ventriculo & intestinis subsedit, va-
lidiorum dejectionem malum desiderat, purgantibus tar-
tarum emeticum adjicere convenit. Quod cum in hoc
adfectu salutare est, tum & egregium contra apoplexiam
ubi ex eâ metus incidit, præsidium est.

4. Quodsi ab externis causis ab somniferis nempe,
quæ supra commemoravimus, sopor ejusmodi incidit,
optimum est, commoto vomitu illud quod male, habet,
rejicere.

CAUTELÆ ET MONITA.

Si sanguis ex copia sui male habet ægrum, quod
cx

ex ipsa specie ægrotantis, facie nempe rubenti, plenisque & tumentibus venis æstimatur, utique adfectus noster requirit sanguinis detractionem. Quare magnopere etiam interest, ut sanguis per sedis venas, præsertim si alias per has partes exiit, exoneretur, hirudinibus admotis provocandus.

2. Inter initia morbi, alienum est, iis, quæ sternutationem movent soporatum excitare. Potiora ea esse debent, ubi & decessit febris, & Vsne, vel dejectione alvi corpus fuerit adlevatum.

3. Si cacochymica corpora urget hoc malum, exitium auxilium est in crebra alvi ductione, addito purgantibus, ut eorundem vis paulo infringatur, castoreo.

4. In lethargo, qui febribus accedit, remove oportet omnia calidiora, interna volatilia & spiritus apoplecticos, & quæ sanguinis motum nimium augent atque intendunt. Eadem servanda sunt, si erysipelas & febres inflammatorias subsequitur. Quo quidem in casu etiam in auxilium advocanda, quæ commotum sanguinem placidiorem præstent, & sævientes spasmos coerceant, Quæ laude abundant leniora diaphoretica & nitrosa.

5. Sedulo vitare oportet sub hoc adfectu balnea calida, vaporosa, & quæ fragranti quo pollent odore somnum movent. Ex hoc numero sunt sic dicta narcotica opium crocus papaver & cetera hujus commatis.

6. Ceterum hic curiose identidem adnotanda sunt, quæ in capite de apoplexia præcepimus. Post dimissum ex vena sanguinem oportet ægri faciem diligenter intue-

ri & pulsum explorare. Si floridior vultus color adparet, & ex facili æger spirat, arteriæ quoque promptius moventur, scire licet, nondum omnem spem evanuisse. Ideoque tunc confidentius repeti potest missio sanguinis, qui quo abundantius in corpore superat, eo liberalius extrahi debet, attendere tamen oportet, ut ampliori facto foramine solutior sanguini crasso exitus pateat, quod idem tidem in apoplexia animadvertendum est.

CAPUT IV.

DE

CATALEPSI

OBSERVATIONES.

Vicina lethargo passio est, quam Græci ab subito insultu catalepsin, Latini adprehensionem nominant.

2. Ejus hæ fere notæ: Homo repente velut attonitus concidit impos sensus ac motus, omnique mentis usu destitutus, corpus in eadem figura, qua deprehendit passio, permanet, oculi rigent, cetera vero membra sunt flexibilia, ægroti difficulter excitantur.

3. Opportuni sunt huic adfectui melancholici temperamenti homines, qui cerebri imbecillitate laborant, & corporis robur inquieta cogitatione nocturnisque vigiliis imminuerunt. Idem frequenter accidit feminis præcipue si sanguis, quo per singulos menses exsolvi solent, consti-

constitit, vel si atrocibus nervorum spasmis subinde excruciantur.

4. A vermibus intestina torquentibus hoc malum sæpe fieri solet, sæpius tamen adhuc vehementiori animi perturbatione. Ita certe animum perculsum terrore, sollicita spe anxium, subito gaudio turbatum, insano denique saucium amore in hunc sæpe casum trahi, abunde medicorum contestantur monumenta.

5. Diducitur catalepsis in duas species, altera vera, altera spuria dicitur. Illa rarior est & conjuncta cum vitæ periculo, siquidem imminentis apoplexiæ index est, hæc & frequentior, & frequentiam compensat benignitate, omni fere periculo carens.

6. Ecstasis identidem species habetur catalepseos, eaq; à prudentioribus in Theologicam & medicam dividitur. Hæc ex causis naturalibus nascitur, illa ex altiore profecta principio profundiore nempe animi motu per verbi divini virtutem excitato, pectus divino amore flagrans repræsentat.

7. Habet adfectus hic periodicos typos, inalgescunt tunc extrema, vultus rubet, palpebræ immobili rigore stupent, dentes strident, muscoli continenti saltu agitantur, salivæ fluunt, alvus indurefcit.

8. Mali morbi signum est æstus corporis, oculorum conversio, contractio manuum sudor igneus & in thorace ac vultu hinc inde emergentes maculæ, repentina virium defectio, rhonchos, & vultus pallefcens.

CURATIO.

In cura hujus mali eadem facienda sunt, quæ in apople-

poplexia præcepimus, necessarium tamen, ut ex differentia causarum, hoc malum continentium, diversa etiam curandi ratio ducatur.

Primo enim si ex suppressis menstruis hoc malum contrahitur, non alia ratione illud curari poterit, quam ut sanguis per has partes alioquin fluere solitus, eodem revoce-
tur. Tum utique expedit, sanguinem e pedibus mittere, desidere in aqua calida injectis herbis uterinis, balsamica adhibere, nihil denique omittere, quæ ad restituendum hunc sanguinis cursum pertinent.

2. Ubi a vermibus intra intestinorum sinus latentibus provenit, subveniendum ægro est ejusmodi remediis, quæ & lumbricos enecant, & enectos ex corpore depellunt. Inter hæc potens inprimis est mercurius dulcis, insigni etiam virtute sunt amara, uti absynthinum myrrha, semen sanctonic. tanacetum &c.

3. Illud vero cum in omni fere catalepsi perpetuum esse debeat, ut nervis & membranis cerebri pristinus vigor ac robur concilietur, tum in literatis maxime, qui cerebro minus valent, curiose observandum est. Ideoque iis, quæ passim de apoplexia & paralyti admonuimus, diligenter commendamus.

4. Aliam vero curam desiderat illa species, quæ ex immoderata animi turbatione nascitur. In hac cum fere inutilia sint medicamenta, confugiendum est ad moralia præcepta, quibus exulceratus animus ad sanitatem reducatur. Fugienda inde maxime est solitudo, vivendum cum jucundis commodisque hominibus, ut eorum familiaritate & adloquio, vel erigatur dejectus animus, vel inani torpens tristitia ad hilaritatem excitetur.

MONITA ET CAUTELÆ.

Uti in omni fere morbo, qui plethoricum adprehendit

dit corpus, necessarium est, à mole sanguinis, pertusa vena, corpus levare, ita si noster adfectus in ejusmodi corpora incidit, hoc auxilium idemtidem oportet adhibere.

2. Ante omnia salutare est, occiput scarificare, ut materiæ cursus eo avertatur. Inde etiam vertici aliisque in capite locis cucurbitulæ recte adfiguntur.

3. Utile potissimum est in hac passione, præsertim ut ejus impetum occupemus, vel imminuamus certe, crebriori vomitu ventriculum & primas vias repurgare.

4. Ceterum pleraque ex iis, quæ supra comprehendimus, hic morbus desiderat, si quidem vitare oportet & frigus & omnia calidiora medicamenta. Excitandus tamen inprimis animus ad tranquillitatem, qua tantum præsidii levaminisque ægro paratum est, quantum damni eidem ab animo, adfectuum turbinibus jactato, est expectandum.

CAP. V.

DE

VERTIGINE.

MOlesta etiam, quamvis per se minus periculosa, est vertigo, quæ ex eodem fonte quo reliqua hætenus à nobis commemorata mala, descendit. Fit nempe idemtidem ex atonia cerebri, & distentione carotidum, quæ juxta nervos opticos feruntur, unde hisce compressis turbatio fit objectorum in retina, ita ut adfecti in orbem agitari & secum in gyrum rotari omnia sibi videantur. Postremo sedentibus vel stantibus lapsus timor imminet, ideoque ne ruant ipsis decumbendum est. Adest etiam capitis & oculorum gravitas obscuritasque, aurium-

riumq; tinnitus, & superiores partes sudore diffuunt. Exasperatur malum, si ægri præterlabentis fluvii cursum vel rotæ vertiginem ex alto conspexerint. Quandoque tam spissæ tenebræ oculis offunduntur, ut omnis fere visus intercipiatur.

2. Vertigo, quam qui vehuntur navi, qui se in orbem rotant, patiuntur, facile remittit, nec ulla eget medicina. Æque levis habenda est, quæ ex tabaci fumo & crapula contrahitur nisi forte harum rerum usus nimium continuetur.

3. Contemplanda imprimis est sedes vertiginis, alia enim ex capite, alia ex ventriculo nascitur. Ille gravior & essentialis est, hæc symptomatica, qua hypochondriaci & quos alvi durities & flatuum vehementia subinde vexat, plerumque conflictantur. Eadem jejuno plerumque ventriculo existente, male habet, & adsumtis alimentis, removetur, acrimonia nempe humorum lubeuntis cibi admixtione attemperata.

4. Quæ caput debilitant, aditum huic adfectui parant, unde ætas senilis, vigiliæ diuturnæ, libido, temulentia crebra capitis percussio, ventriculi cruditas, balineorum improvidus usus & maxime omnium hypochondriaca passio eundem provocant. Accidit etiam, ut intermissam purgationem, quæ alioquin in usu fuit, excipiat, item si sanguis per ani vasa exonerari solitus, ferri desit, vel arte vel casu repressus. Idem malum à leguminibus & quæ flatus movent, à vermibus, à valentiore emetico, cujus vehementia convulsus ventriculus fuit, item à sternutatione validiore & immodica detractione sanguinis fieri, medicæ historiæ passim demonstrant.

5. Ingravescit vertigo vere & hyeme imprimis, eademque futuram quoque epilepsiam maxime vero apoplexiam prænunciat.

6. Distat ab epilepsia, quod adfectos neque sensus nec motus destituat, quod contra in comitiali morbo evenire observamus,

Ut promptum atque expeditum auxilium huic malo adferatur, videndum est, ut primum sanguinis cursus a capite avertatur, deinde ut cerebro & nervis sua reddatur vis ac firmamentum. Quod utrumque sequentia, si curæ sua regula constat, pollicentur.

1. Sanguis qui ad caput confluit optime ad remotiores partes retrahitur venæsectione in pede instituta. Idemque ut impetremus, in viris hæmorrhoides in feminis menstrua per commodam medendi rationem convenit evocare. Demittendi eum in finem in calidam aquam subinde pedes deducenda etiam molliori medicamento alvus, quod præstant pillulæ cephalicæ, quæ præter vim detrahendi sordes, partes etiam corroborant.

2. Juvat inprimis, bregma ferro candenti inurere, ut materia quæ male habet eo detrahatur, quod auxilium in hoc adfectu tantum sæpe adlevamenti præstat, ut sine medici opera frequenter ægri ab eodem liberentur.

3. Ad confirmandum caput & nervos balsamus vitæ D. Præsidis confert, qui & externe vertici & naribus infusus & interne in elæosacchari forma sumtus, non mediocrem sæpe promittit allevationem. Præter hunc adjuvat etiam ægros spiritus salis ammoniaci inter cibos acceptus.

4. Alvum fere solutiorem præstare uti in omni vertiginis specie utile admodum est, tum in ea maxime, cujus causa in ventriculo & primis viis defedit. Quo in casu præter clysteres validioribus etiam interdum opus est medicamentis, inter quæ extract. ellebori nigri & tartarus emeticus præstant, ut vomitu facto, qua primū via potest, materia rejiciatur.

5. Quos vertigo ab acido in primis viis exorta subinde exercet, hi optime absorbentibus cum oleo nucistæ mixtis, item martialibus cum pillulis polychrestis datis adjuvantur.

MONITA ET CAUTELÆ.

Plethoricis hominibus & qui florida ac colorata facie sunt.

sunt, iis sanguinis detractio vix melius præstantiusque auxilium invenitur. Quod quidem ipsa natura, quam velut magistram sollerter sectari oportet, demonstrat, siquidem experimentis constat, solvi frequenter vertiginem sanguinis enaribus profusione. Quem salutarem conatum naturæ vel occupare vel etiam adjuvare oportet incisus cum scalpella naribus vel iisdem, quod Ægyptiorum sollertia nobis demonstravit, scarificatis.

2. Minus proficiunt in hoc vitio roborantia, si antequam sanguinis missione, laxantibus & diluentibus levatum fuit corpus, adhibeantur, ideoque præstat eadem postponere iis auxiliis.

3. Non contemnendi usus sunt infusa calida ex herbis cephalicis radice valerianæ cubebis aliisque adparata.

4. Si malum altius infedit, nec molliori cedit medicinæ, duriora exercere oportet imperia. Tum inedia & fame fonticulisque & fetaceis illud evellendum est, cura etiam cinnabarina admovenda.

5. Aliena in adfectu hoc esse debent omnia vaporosa & narcotica moschata & camphorata, vitanda etiam omnia, quæ supra posuimus. Cibus sit facilis & cui concoquendo salutare digestionis officium sufficiat, acria falsa & acida removeantur, ne aucta inde materia ipsa passio amplius trahat nutrimentum.

CAP. VI.

DE

GUTTA SERENA.

Gravius malum est gutta serena seu cæcitas, sub qua sanus adparet oculus nec quidquam vitii extrinsecus semet ostendit, nisi quod pupilla amplior & nigrior sit, nimiumque dilatata & ad luminis sensum immobilis & rigida existat. Quamvis autem parum vitii, si oculos inspicias, fere præsentet, nihilo tamen secius adeo omnis visus ereptus est ægris, ut ne minimam quidem luminis vim percipiant.

2. Causam nostri mali si requiris, eadem ex atonia cerebri arcessenda est, maxime vero ex earum partium debilitate, quæ thalami nervorum opticorum adpellantur. Quam quidem evidenter demonstrat incisio eorum, qui per vitam caruerunt luminis usu, siquidem nervi optici duplo ampliores marcelli reperiuntur, ingenti feri copia circumfusi. Sæpe etiam tumor globi figuram exprimens, qui nervos opticos comprimit, se intra cerebrum exhibet, ipsius quoque cerebri pars prope nervos qui ad visum pertinent corrupta invenitur. Quæ cuncta satis demonstrant, humorem, qui causa mali est, non tam intra nervi substantiam sed eundem potius in cerebro & circa nervos desidere.

7. Ubi ab ejusmodi causis, quas modo posuimus, malum descendit, facile colligere est, frustraneam esse medentis operam, nec quidquam proficere curationem. Quam contra quamvis sollertem & arduam recipit clementius malum, quod ex eo æstimatur, si ejusdem causa intra tunicas oculorum & maxime in sclerotide detinetur. Tali enim in casu cum a desidente ferro nervi saltem premantur, contrahantur & relaxentur, expeditior ad curam, si industria accedat, via demonstratur. Facilius etiam curatur si adhuc recens est, nec inveteravit.

8. Gutta serena est vel perfecta, vel imperfecta; In illa cum omnis acies extincta sit, frustra est, curationem admove. In hac cum imminutus tantum sit visus, aliqua curationis spes superest, magnis tamen laboribus & diuturno remediorum usu sustinenda.

9. Frequens hoc malum cacochymicis plethoricis & qui seroso habitu corporis pollent. Idem etiam post fortio-rem purgationem vel vomitionem, it. post vehementio-rem mercurialium vel sudoriferorum usum suboritur.

10. A graviore terrore epilepsiam, mox cæcitatem, eandemque ab ebrietate, a purpura & scabie intra corpus remeantibus e pedum tumore in cachecticis dilabente excitari novum non est. Infantes etiam imbecilliores & qui humo-
ribus

ribus abundant, hoc malo sæpius periclitantur, maxime, ubi non bene prodierunt morbilli vel intestina lumbricis obsidentur. Experientia quoque docet, hunc adfectum phrenitidi in febribus malignis & hydropi quoque succedere. Nec prætereundum, hemicraniam, quæ puerperium excepit, tandem in cæcitatem terminari. Facit denique ad hunc adfectum omne frigus acre, Zephyri impotentior flatus, nocturnæ computationes diuturnus mæror, alvus compressa & hereditaria dispositio.

CURATIO.

Curandi ratio in hoc adfectu admodum difficilis, quippe medicamentorum vis remotas has partes minus subire potest. Si quid tamen cura experiri juvat, duplici via procedere oportet nempe ut serum quod incumbit nervis auferatur, & deminutum robur restituatur. Ad quod obtinendum,

1. Unicum fere præsidium est in cauterio actuali syncipiti vel nuchæ imposito, ut eo materia perniciofa detrahatur.

2. In omni oculorum valetudine ut maxime convenit, alvum ducere, ita & eadem in hoc malo fusior subinde esse debet. Quod tamen non drasticis valentibusque remediis sed lenioribus, quibus nervina roborantia admiscenda sunt, fieri oportet, eo nempe fine, ut & serosa colluvies expellatur, & partibus nervosis vigor ac robur adjiciatur. Laudem hac in re inveniunt pillulæ cephalicæ balsamicæ, quarum exemplum in capite de apoplexia proposuimus.

3. Juvat etiam, temporibus hirudines admoveere, & mediam frontis venam pertundere, quando exemplis comprobatum est, nonnullos cum in fronte vulnerati essent, cæcitatem evasisse.

4. Præstat tempora linamento subinde fovere, quod commode balsamus liquidus Dn. Præsidis suppeditabit, idem ad internum externumq; usum commendandus. Meminitq; D. Præses, ejusdem usu se non semel cæcitatem inter initia discussisse.

CAUTELÆ ET MONITA.

Si sanguis per menstrua vel hæmorrhoides minus ex regula

gula fertur, in partibus inferioribus incidendæ sunt venæ.

2. Cacochymica corpora si cæcitas adflixit, abstinendum a fortioribus remediis præsertim emeticis, & quæ valide sudorem excutiant, seponendus etiam balnei usus præsertim alvo adstricta, quod verendum est, ne humores ad caput cum impetu compulsi malo præbeant incrementum. Eadem cautio esse debet in sternutamentorum usu, quæ quoniam vehementi qua agunt vi, humores ad oculos adliciunt, merito vitanda sunt. Eadem tamen, ubi corpus & caput iusta purgatione levatum fuit, locum inveniunt, sed talia esse oportet, quæ humores clementer magis evocant, quam violento modo excutiant.

3. Noxius in hoc adfectu omnis acrior ac crassior victus, vitanda legumina & quæ flatus excitant. Cœna sit parvior, & quod melius, bis per hebdomadem ab eadem abstinenceatur. Vinum vel removendum plane est, vel si conceditur, aqua diluendum est, præstat tamen ejus loco decocto sassaparillæ; liquiritiæ, adjecto coriandro uti. Fugendus etiam est, uti in omni capitis vitio somnus meridianus & supinus decubitus.

4. Potens est in hoc malo fetaceum. nec minus auxilii ab inedia & diuturna abstinentia, quæ si ullum remedium, efficacissima est ad hunc adfectum contumacem evellendum. Debet autem hæc ipsa cum per aliquot tempus continuari tum accurate se legibus abstinentiæ, qui eam iniit, se adstringere, & nihil præter modicum panis bis cocti vel passulas degustare. Seponendum etiam omne vinum & cerevisia, & decocto lignorum, cui herbæ cephalicæ adjectæ sint, utendum, in potum sufficere debet aqua reliquiis decocti adfusa & molli igni leviter incocta cui addi possunt passulæ & cortices citri, ut hoc commento averfanti palato concilietur. Venus cum nervos opticos maxime debilitet, cum cura vitari debet, oportet & reliqua fugere, quæ in aliis malis, quæ ad atoniam nervorum referuntur, commemoravimus.

GRAVITATE AUDITUS ET SVRDITATE.

EX atonia cerebri & nervorum, qui ad aures feruntur, aurium vitia prodeunt. Si quando enim hæc membrana ab stagnante ibi humore nimium madet, flaccescit primum, mox relaxata nimis sonum percipere minus recte potest, unde auditus gravitas & difficultas nascitur. Sin autem in interiorem auris cavitatem feri copia effusa ibi residet, majus periculum est, quippe surditas inde progeneratur. Fit etiam interdum gravis auditus a nimia siccitate, quod evenire videmus ab immoderata vigilia, siquidem sub hac confumto fere omni humore, membrana exarescit.

2. Aurium vitia facile incurrunt phlegmatici & pituitosi, item cachectici, & qui frequenti capitis defluxione exercentur.

3. Gravitationem auditui inducere solent crebrior crapula, & capitis refrigeratio, si hoc nudum ventis frigidis exponitur, item si aqua calida intempestive lavatur. Increscit malum sub cœlo nubilo & pluviosa tempestate.

4. Surditas quæ a nativitate usque male habuit, omnem plane curam respuit, manifesto documento, læsam esse naturalem auris conformationem. Malæ etiam notæ est, quæ aurium inflammationem & exulcerationem sequitur, quippe quæ idemtidem quam difficillime depellitur, maxime, si tympanum & ossa exesa sunt.

5. Parum quoque læti in curatione sperare licet, si ex dolore capitis gravativo, apoplexia vel lethargo provenit. Gravius etiam malum est, si tympanum erosum est. At surditas quæ per intervalla modo crescit, modo decrescit, facilius accommodatæ cedit curationi.

6. Frequenti observatione confirmatum est, febres acutas continuas, oborta surditate, solvi, non cum obscuro indicio, feri ad aures inclinati,

E

5. Pa-

Longe difficillima, si adfectus hic invaluit, si ætas senilis eo periclitatur. Meliora promittit & florens ætas & si malum nondum inveteravit. Convenit vero quam maxime ante omnia, humorem a capite deorsum evocare, deinde caput & nervos opportuna medicina corroborare. Laudamus itaque

1, Pillulas, quas supra exhibuimus, quæ alvum solutiorē præstent, utpote D. Præses sæpius observavit, surditatem fortiore purgatione fuisse submotam.

2. Egregium usum promittit cura inediæ, eà ratione in-
cunda, quam paulo ante descripsimus.

3. Interne prodest spiritus succini volatilis, nec non bals-
vit. D. Præsidis inter cibos sumtus. Eodem etiam fovere ex-
pedit sensibiliores capitis partes tempora & nucham. Impo-
nendus etiam cum lana auri.

MONITA ET CAUTELÆ.

1, In gravi auditu ac surditate caput a frigore aerisq; injuria dili-
genter muniendū idemq; curiose velandum est. Juvat vero sub
vehementiori Zephyri flatu idem cucupha adversus aeris con-
tumeliam defendere. Cujus hæc formula esse potest. Recip. rad:
cyperi rotund. sem. nigell. succini. benzoës styracis, iridis Flo-
rent. singulorū unciam unam, moschi drachm. semis. fl. anthos
lavendulæ rosar. rubr. a. p. ii). Serpilli majoran. ana ꝑ. m. f. Pulv.

2. Nocent in hoc adfectu olea improvide auribus infusa, fo-
vere potius eas oportet pane calido e furno recenter exem-
pto, cui balsamus vitæ adspargatur. At si a siccitate tympani
vitium evenit, oleum amygdalarum dulcium prodest omnino
immittere. Juvat etiam, pinguedinem anguillæ tepidam adfe-
ctæ auri instillare.

3. Narcoticorum usus in hoc adfectu condemnendus est, vi-
tandum etiam vinū, quod si conceditur, oligophorū esse debet.

4. Balnea Laconica, motus corporis, victus tenuis non me-
diocriter curationem adjuvant.

Si altius defixum malum eludit medentis operam, confu-
giendum est ad mercurialia cum cinnabari & auro diaphoreti-
ca mixta, quibus ut gravissimi morbi & qui penitus inse-
derunt, ita & hic sæpius expugnatur.

T A N T U M.